



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

IV. Caroli Magni iuramentum pro defensione Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

vnd Heylands/sibenhundert vnd im sechs vnd neunzigsten/Indictione XII. vnsers Reichs im zwey vnd zwanzigsten Jar. Geben zu Ach in vnserm Kayserlichen Pallast/den 23. Tag des Monats Meyen/10. Comparet hæc, qui Germanicam linguam intelligit, cum Latinis, & mox versoris huius acumen, & circumspæctionem deprehendet. Eratne Palatium Caroli Anno DCC.XCVI. *Cæsareum seu Imperatorium?*

CAPVT IV.

Caroli Magni iuramentum pro defensione Ecclesie.

IN nomine Christi spondeo atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo & beato Petro Apostolo, me protectorem & defensorem fore huius sanctæ Romana Ecclesie in omnibus utilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero poterog. Recitat Baronius Anno DCCC. ex Ordine Romano.

Hoc iuramentum esse fictitium probat Calvinista duobus subtilissimis argumentis. Primum est. Quia Gratianus illud suo Decreto non inseruit, sed aliud longè recentius, quod Otho I. Pontifici Ioanni præstitit. Potius autem hoc Caroli Magni, suo operi intexuisset, si in rerum natura existisset.

Secundum, quia Leopoldus, Episcopus Bambergensis, in lib. de Zelo veterum Principum Germania iuramentum Caroli pro suppositio habet. Cuius verba cum Calvinista recitasset, subiungit. Vides, ut apertè neget ante tempora Othonis Magni in usu fuisse hanc iuramenti formulam, atque eadem

eadem operâ à Carolo Magno prestitum. Commentitium ergo sit necesse est, αὐτὸς ἔφα. Nemo repugnet. At nos opponimus Ordinem Romanum, sic enim appellatur Ritualis liber, *de diuinis Catholica Ecclesia officiis & ministeriis per totius anni circulum*; quo Romana Ecclesia utitur; qui antiquissimus est, & vt Melchior Hittorpius præfat. in Liturgicos Auctores arbitratur, à Magistris Romanæ Ecclesiæ tum conscriptus, cum Stephano Pontifice, & Pipino primùm, deinde Carolo Magno procurante, diuina officia Romana cum Romano cantu in Galliam sunt introducta. Etiam Sigonius, cui Caluiniſta plurimum, nec immeritò, tribuit, *Ordinem Romanum*, antiquissimum nominat; quem si nugatoriis Caluiniſti cauillationibus non anteponeremus, parum utique vetustatis reuerentes essemus.

Ad primum argumentum respondeo, Gratianum illam iuramenti formulam, quæ plenior & perfectior est, in Canonum Volumen intulisse, non eam, quæ antiquior, breuior & contractior. Nam illa Othonis Magni, *Tibi Domino*. distinct. 63. expressè & disertè longè plura capita complectitur, quàm formula Carolina. Adde, forsan ideo in Decreto omiffam, non quia in rerum natura non fuerit, sed quia Gratiano ignota fuerit. Vt enim Gratianus *Polyhistoris* laudem mereatur; certè *omniscij* nomen & gloriam sibi nunquam vendicabit.

Ad secundum respondeo, Leopoldi verba esse ista. *Iuramentum autem tale ab Imperatoribus seu Regibus Romanis ante tempora dicti ΟΤΗΟΝΙΣ, &c. fuisse prestitum, non recolo me legisse.* Ecce Lupoldus seu Leopoldus dicit, *se non legisse, vtrum aliquis Imperator vel Rex Romanus ante Othonem simile iuramentum præstiterit;*

stiterit; non autem dicit; *nullum simile iuramentum prastitisse*. Quis verò tam cœcus est, qui non videat, quanto discrimine duo ista distent? *Prastitum esse, non recolo me legisse*: Et; *Non fuit prastitum*. Et tamen Calvinista ex priore illo hoc posterius concludit; Et qui nouus mundo Gerontodidascalus exortus, Baronium toties Dialecticam docet, Sus scilicet Mineruam, hoc argumento lectoribus risum excutit. *Leopoldus dicit, se non meminisse, num ab Imperatoribus, Othonem primum antegressis, eiusmodi iuramentum Pontifici Romano prastitutum fuerit, quale à Gratiano affertur: ergo Leopoldus affirmat, iuramentum quod ex Ordine Romano affertur, esse supposititium: Ergo uera est supposititium, nulloque numero habendum*. Pulchrè & argutè: quasi Lupoldus omnia volumina, quæ in rerum natura erant, euoluerit: Et si euoluisset, recentem præsentemque omnium memoriam habuerit.

Deinde, qui dicit, se non recordari, num hoc vel illud legerit; is minimè eo ipso asserit, hoc vel illud in rerum natura non existisse; Innumera enim sunt, quæ, diligentissimus quisque & indefinens lectionis studiosissimus non legit; aut si legit, non meminit, num legerit. Quæ ergo arte ex Lupoldi verbis illam suam conclusionem exsculpet?

Ad extremum, licet Lupoldus asseueraret, quod non facit, nullum Imperatorem ante Othonem simile iuramentum Pontifici præstitisse, an ideo Ordini Romano, libro antiquissimo, fidem abrogaret, & nos in suam sententiam ire cogeret?



CAPVT